estis mei et omnis salus vestra in mea manu est et, si vellem, possem vos vi retinere et in compedes ponere, sed quia non placet manere mecum, ite ad locum placentem, verum tamen, si aliqua molestia vobis illata fuerit et aliquid passi fueritis, sicut pro certo fiet, non mihi conqueramini, nec me invocetis, quia tutor vester in alia aede non ero, nec possum vos defendere nisi in mea domo, quae est quasi asylum Christianorum et Judaeorum. Insuper in alia domo captivi stabitis, nec apparere audebitis extra, nisi per me ducti in publicum fueritis, quod ego non faciam, stabitis ergo conclusi et nihilo minus solvetis mihi solvenda, quia mei estis. In illa locutione fuit factus tranquillus et addidit: quid quaeso displicuit in hac domo vobis? Ecce, ampla, spatiosa et decora est, et similem inter vestros Christianos non reperietes. Habitationes meae habitationes vestrae; servi mei servi vestri. Si placet, manete securi in hac domo, si non, exite et de securitate vobis providete. Haec ut audivimus, intelleximus nos irretitos et captos et necessitatos ad manendum cum eo; submisimus ergo nos ei et commendavimus nos ipsos sibi et manere promisimus. Dedit ergo nobis tria habitacula, cuilibet societati unum, et loca ad coquendum ostendit et Mamalucum nobis junxit unum, qui conduceret procuratores nostros ad loca, ubi emuntur necessaria, et dedit nobis licentiam undique ambulaudi per domum, sed prohibuit nos exire domum sine comitiva famuli alicujus de domo. Exivit ergo procurator noster et necessaria emit optata in bono foro, demtis lignis, quae carissima ibi sunt, emimus enim pro uno ducato ligna, quae quis in Ulma, ubi tamen etiam sunt cara, emeret pro uno plaphardo, vinum autem nullum nec apud Christianos invenire poteramus et vinum in Jerusalem totum erat consumtum et incepimus aquam paradisi bibere de Nilo, sed nullus dubitet, quin melius (b) vinum Rheni quam aqua paradisi sapuisset nobis. Emimus illo die multa et omnia ad libram mensurantur ibi, panes, pisces, carnes, sed et ligna pondere librae comparantur. Emimus enim plus quam pro ducato ligna, non tanta, quanta Ulmae habere possem pro uno bohemico grosso; nam ab antiquo fuit terra Aegypti lignis carens, quod poetae referunt accidisse temporibus Vulcani regis, qui dicitur ignem invenisse. Cum enim arbor ictu fulminis in montibus incensa propinqua omnia inflagravit ligna, sicque ignis discurrens omnia succendit et ita Aegyptus privata

032

030

036

026

041

021

081

131

531

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;